

LX.

Actio Injuriarum Æstimatoria, & Criminalis, elective tantum concurrunt, quod utraque tendat ad vindictam.

LXI.

Remedio Legis Diffamari locus an sit in Injuriis? disceptari solet. Negantes nobis placent. Vid. Carpz. Tract. Crim. qu. 97. n. 69. & seqq. Brunnem. ad l. 5. ff. de Injur. Mev. p. 1. Decis. 144. & p. 6. D. 268. adde Brunnem. adl. Diffam. n. 2.

LXII.

Retorsio Juri Civili ignota, consuetudine introducta, An licitum sit injuriæ vindicandæ remedium? disceptatur. Nos affirmabimus.

LXIII.

Publica delicta sunt Crimina notabilia, quæ in rem publicam commissa, publicorum Judiciorum legibus vindicantur, data cuivis è populo accusandi licentia. Hodie paulo aliter fuerint describenda.

LXIV.

Alia sunt Capitalia, quædam non Capitalia: illa sunt, quæ publicorum Judiciorum legibus, morte, aut Naturali, aut Civili, exilio nempe, vel deportatione, puniuntur. Non Capitalia; quæ Publicorum Judiciorum legibus, aut coercitione in corpus, aut mulcta pecuniaria vindicantur.

LXV.

Publica Judicia hodie recte sic describuntur;
quod